Thom: Aitchison Latta de Scorbuto

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

SCORBUTO

COMPLECTENS.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM DE
SCORBUTO
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINÁ HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS AITCHISON LATTA,
Scotus,
CHIRURGUS.

Non tali auxilio, nec defensoribus istis,
Tempus eget.—— VIRG.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
Excudebat Jacobus Neill.

MDCCCXIX.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

FRATRI SUO,

ALEXANDRO LATTA, M. D.

PROPTER

CONSILIA BENEFICIAQUE

IN EUM COLLATA,

HOC OPUSCULUM,

GRATI ANIMI PIGNUS,

DICAT

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

SCORBUTO

COMPLECTENS.

PRÆFANDA.

SCORBUTUS, valetudinis adversæ genus nautis potissimum infestum, parum antiquis, rerum navalium imperitis et insuetis, innotuisse videtur. Indicis enim nautici mirabilis ignari, nec ideo se oceano committere ausi, freta sola carinis secabant. Huc accedit, gentes antiquas excultiores, scilicet PHŒNICES, GRÆCOS, PŒNOS,

et ROMANOS, terras mari MEDITERRANEO propinquas accoluisse: quæ sole torrido exustæ, minus quam regiones septentrionales, tunc temporis sane ignotæ, corpora humana *Scorbuto* subeundo aptant. Diu porro navigare antiquis temporibus non opus erat: gentesque, de quibus agitur, olim, uti hodie, frugibus præsertim vesci solebant: qualis victus *Scorbuto* insigniter obstat. Hisce perspectis, non admirandum est, medicos vetustiores de hoc morbo pene siluisse.

Obruto imperio Romano, totus fere terrarum orbis in barbariem incultam incidit. Demum vero seculo decimo quarto, nova lux gentibus affulgere cœpit: indice nautico invento, viri fortes ad ardua tendebant: ejusque ope, auspicibusque COLUMBO et VASCO de GAMA, novus aditus ad utramque Indiarum, oceano immenso exarato, tandem patebat. Hinc, uti opes et copiæ, ita quoque nova morborum genera, exquisita sunt: tam enim inter se propinqui sunt bonorum et malorum fines, ut hæc illis carere vix possint.

Nunc demum nautæ permultos menses navigare soliti, frugibus denegatis, carnibus *muriate*

sodæ conditis, iisdemque non raro jam ad putredinem vergentibus, vesci coguntur: unde, operam simul conferentibus aliis causis mox memorandis, *scorbutus* facile et cito nascitur.

DE DEFINITIONE.

Hæcce præfatus, ad rem propositam aggrediendam transeo. Cullenus celeber *scorbutum* ad Classem *cachexiæ*, Ordinemque *impetigines*, relatum, ita definivit: "In regione frigi-"da, post victum putrescentem, salitum, ex "animalibus confectum, deficiente simul ma-"teria vegetabili recente; asthenia, stomacace, "in cute maculæ diversi colores, plerumque "livescentes, præsertim ad pilorum radices.

DE SIGNIS.

Scorbutus incipere consuevit e languore animi et corporis perinsigni, gravitate circa præcordia, marcore, nec raro animæ defectione. His malis deinde superveniunt vultus demissus,

tumidus et luridus, oculi nitoris expertes, respiratio motu quam levissimo celerata, tussis, pulsusque arteriarum imbecilli et inæquales. postea, gingivæ spongiosæ et molles facile dilacerantur, cruore effuso; dentes parum firmi maxillis inhærent, nec raro excidunt; anhelitus fœtet; vires cibi concoctrices admodum dilabuntur; alvus sub initio tardior quam fert natura, ægre et parum excernit; ad finem contra fluere consuevit. Summa cutis valde aret; quod signum molestiam quæsitissimam affert. Urina parca redditur: ferturque efficere ut succi cœrulei herbarum ei adjecti viridescant: unde, si profecto res ita se habeat, hic humor *alcalinus* judicandus. Frequenter venæ *hæmorrhoidales* hoc morbo implicatis turgere observantur. Cutis inter hæc cœruleis maculis efflorescit: si vero alicubi corporis vulnus jam sanescere inceperit, nunc sua sponte ulcus ibi malum renasci consuevit: sive natura medicatrix os olim fractum redintegraverit, vinculum protinus dissolutum prodit. Artus dolent, veluti *rheumatismo* vexati, præsertim noctu; mens autem integritate plerumque fruitur; certeve delirium abest.

Ad ultima ventum esse demum testantur artus rigidi et tumidi, marcor summus, cursus sanguinis e naribus, ore, ano, aliisque partibus, quas *membranæ mucosæ* obtegunt, alvus fusa animi injussu, dejectiones fœtidissimæ: denique haud raro dirus hydrops et febris *hectica*. Quibus ærumnis mors exoptanda finem imponit.

Signa jam relata ad hunc morbum gravissimum pertinent: scire equidem licet interdum eundem leviorem urgere, tempestivis remediis cessurum.

DE CAUSIS.

Causæ morborum duplicis sunt generis, scilicet, Remotæ et Proximæ sive Continentes. Illæ vero in Abditas et Evidentes diducuntur: de quarum singulis quam brevissime disputabo.

De Causis Abditis. Quanto magis vires dilabantur, tanto facilius noxæ sedatrices ei admotæ lædunt: non solum enim infirmitas cor-

pus mobilius æquo facit; verum etiam, actionibus omnibus interioribus tardatis, si quid venenum ei inhæret, difficillime excernitur. Hinc efficitur ut languidi, macilenti, labore aliundeve fracti præ aliis *Scorbuto* subeundo aptentur: quod idem de *Scrophula* aliisque malis *cachecticis* prædicari potest.

De Causis Evidentibus. Causæ evidentes vel excitantes, sunt quicquid vires labefactet, ideoque exinanitiones solitas reprimat, aut corpori nimium *nitrogenii* præbeat.

Huc præsertim attinet victus e carnibus putrescentibus, et *muriate sodæ* imbutis. Hanc causam omnium præcipuam sane judico: qua scilicet deficiente, nulla alia *scorbuto* inferendo habilis quibusdam esse videtur. Res est notissima, nautas navibus jam inclusos hoc cibi genere præcipue uti solitos esse. Carnes ita præparatæ non solum parum nutrire possunt, verum etiam duratæ, et persæpe ad putredinem vergentes concoctu fiunt difficillimæ. Fruges porro, scilicet, radices esculentæ, olera, legumina, &c. jam navigantibus haud raro desunt: statuere igitur licet, victum jam relatum *scorbutum* gig-

nere, partim quod non e terra natis constat, ideoque *nitrogenii* plus justo habet; partim quod jam ad putredinem tendit.

Aqua, quam nautarum bibere est, haud raro corrupta fit, pessimeque olet; inter causas hujus morbi sine dubio recensenda.

Quo corpus humanum valetudine secunda perfruatur, oportet, ut secernenda rite secernantur, et excernenda rite excernantur. Continenter scilicet pulmo, summa cutis, renes et alvus, homine sano, naturas acres et nocivas ejiciunt. Undecunque igitur hæ actiones reprimantur, corpus iis acribus retentis inquinetur, necesse est. Quum demum constat urinam alvique dejectiones *nitrogenio* abundare, intellectu non erit difficile causas, quæ istas exinanitiones supprimere possint, *scorbuto* inferendo aptas esse. Hujusmodi sunt frigus, humor, fatigatio: quibus equidem nautæ admodum objecti esse consuerunt. Quod ad frigus, CULLENUS inter *scorbutum* definiendum notat, eundem regiones gelu pigras, alterutri polorum scilicet propiores, maxime affectare: hoc accidit, partim quod frigus secernenda et excernenda rite secerni et excerni non patitur; partim quod terra algore

rigens fruges parcas et imperfectas parire solet. Frigus sane modicum riteque et legitime corpori humano adhibitum vires firmat, omnesque actiones interiores concitat: idem vero intentius noxæ sedatrici potentissimæ est habendum. Quinetiam facit ut naturæ per cutem, pulmonem, renes, alvum &c. exire solitæ intus hæreant; et exinde morbum propositum progignere potest. Hanc equidem causam multo magis opinione valere hinc docemur, quod frigefacti in *scorbutum* aliquando inciderunt, cibi ex frugibus confecti haud egeni. Neque non aër humidus, aut humor ullo modo corpori illatus non causa excitans judicari debet. Ex omnibus cœli rationibus, quæ cutis halitum aliaque excernenda supprimunt, idem humidum sine dubio præpollet. Humor sane magis quam frigus ipsum cutis spiracula claudit. Aër enim facultate aquæ solvendæ, haud secus atque aqua cujusvis salium, pollet: quanto igitur cœlum humore saturius sit, tanto minus ejusdem accipiendi est capax. Cœlum autem apud maria humore onustum esse oportet. Mensibus porro Julio et Augusto, regiones, quas Zonæ Frigidæ complectuntur, Jove nubibus nebulisque densissi-

mis malo infestari consuerunt: quo fit ut earundem incolæ, et præsertim alienigenæ huc advecti iis tempestatibus facile in *scorbutum*, *catarrhum* aliosque morbos cutis halitu suppresso oriundos labantur. Hoc optime usu noverunt viri fortes, qui oceanum Arcticum ad balænas petendas quotannis adeunt: quique frequenter *scorbuto* crudeliter torquentur.

Quanquam autem hic morbus populos, septentrionales, potiusve utrique polorum vicinos potissimum aggreditur, haud tamen inficior quin gentes circulis solstitiorum subnixas adoriri possit, modo causæ satis pollentes adsint. Terris ZONÆ TEMPERATÆ subjectis cœlum contingit multo humore onustum: quæ vero *circulo æquinoctiali* sunt propinquæ, sole ardentissimo tostæ, aëre tenuiori et sicciori donantur; jam porro notavi harum incolas frugibus præsertim vesci, vinaque acidula bibere; quo victus genere nihil *scorbuti* arcendi potentius est.

Quidam opinantur cœlum maritimum proprietate aliqua *scorbuto* excitando idonea præditum esse: quos vanam opinionem fefellisse eo existimo, quod inter diu navigandum, nautæ, modo fruges, et fructus aciduli iis suppetant,

scorbuti integerrimi sæpe vixerint; insuper, quod terra haud minus quam mari, causis excitantibus subjecti eodem sæpe laborarunt: cujus rei exemplo perinsigni sit dira strages, qua hic morbus Calpes annis MDCCLXXIX–LXXX, &c. milites Britannicos absumpserit: qui tamen cibo salubri destituti et hoc teterrimo malo macerati, invicti, copiis ingentibus Hispaniæ et Galliæ obstitere.

Ignavia, fatigatio et motus animi sedantes, huc quoque pertinent; quomodo ad *scorbutum* ciendum operam conferant, satis, ni fallor, ex supra comprehensis apparet.

Denique, uti paucis absolvam, omnia *scorbutum* movere possunt, quæ faciant ut *nitrogenium* corpori superfluat, *oxygenium* deficiat. Vel causæ, quæ plus æquo illius corpori præbeant, vel quæ idem non rite excerni faciant, huc valent. Illa ratione victus e carnibus sale conditis; hac vero, causarum reliquæ *scorbutum* facessere videntur.

De Causa Continente. Perspectis supra propositis, causam continentem judico esse Diathesin putridam corporis totius, maximeque

EJUS HUMORUM. Non prædicare volo, corpus *scorbutici* jam nunc putrescere: vitæ enim ipsius est putredinem arcere. Solummodo propono partes omnes corporis ad hanc admodum esse proclives; istamque proclivitatem, sive *diathesin*, causam esse continentem. Corpus demum *nitrogenio* plus æquo infectum, ob causas excitantes propositas, *diathesin*, de qua agimus, constituit. Haud nescio auctores alios aliter causam continentem hujus mali literis mandasse. Quum vero mihi verbo potius quam re invicem dissentire videntur, de eorum sententiis silere, quam inutiliter orationem producere, malui.

QUÆ CADAVERIBUS SECTIS DETEGANTUR.

CORPORIBUS hoc morbo absumptorum scalpello incisis et introspectis, multa secus atque fert natura, reperiri solent: sanguis ubique corporis dissolutus, tenuior, æquo atrior, invenitur. *Pleuræ* insigni laticis copia, ejusdemque longe acrioris, scatent. Pulmones nigriusculi, molli-

oris compagis, ad putredinem præcipites, observari consuerunt. Cor notas easdem haud raro sibi prætulit. Interdum ossa cariosa et corruptissima sunt: neque multa humores omnes præter consuetudinem tenues et acres, partesque solidæ laxæ et spongiosæ, oculis, sectis corporibus, obveniunt.

DE SIGNORUM RATIONE.

Jam ostendere nixus sum partes solidas laxas et molles fieri; sanguinemque et alios succos justo tenuiores. Iste corporis habitus facile, ut conjicio, omnes notas *scorbuti* proprias gignit.

Maculæ Lividæ, e sanguine, vasis sua sponte diruptis, in cavernas telæ reticulatæ profuso nascuntur.

Eædem sæpe in ulcera mali moris abeunt, eo quod cruor profusus et stagnans (vasa enim *lymphatica* languentia ad resorbendum haud valent) acerrimus fit, et inde summam cutem, cui subjicitur, vicinasque partes, exedit.

Sanguinis cursus e naribus, ore, auribus, ano, gingivæ spongiosæ, et dentes excidere soliti, eandem plane rationem accipiunt.

Anhelitus foetet, eo quod succus ventriculi proprius vitiatur, ideoque cibi male concoquuntur: quo fit, ut ingesti mox putrescant, pessimumque odorem halent. Scire enim licet, ventriculum potius quam pulmonem, anhelitus graveolentis plerumque esse fontem.

Febris hectica demum exercet, propter humores vitiosos et acriores: multa enim irritamenta, præter pus, humoribus circumeuntibus mista hanc febrem accendere posse, satis apud medicos jam innotuit.

Hydrops, qui circa finem crebro accedit, ad vasa exhalantia, et resorbentia resoluta plane referendus est: eorum enim ora exinde magis patentia simulque languida efficiunt, ut plus laticis intus profundatur, et minus resorbeatur, quam valetudine secunda.

DE DIAGNOSI.

Febrium malignarum et pestilentium cum *scorbuto* commune est, corpus ad putredinem pronum esse videri. Nemo autem rei medicæ aliquanto peritior errare poterit. Causa enim febrium excitans, ratio DIATHESEOS PUTRIDÆ, quam subinde exhibent, remedia huic tollendæ accommodata, cerebrique actio febrientibus multum læsa, &c., satis superque medicum prudentem dirigent. Quod ad harum febrium causam, virus pestilens, cui nomen CONTAGIUM, febres continentes malignas parit, lateque dispergit: *scorbutus* contra aliunde nascitur. Vitæ principium labefactum, non materia *septica* corpori illata, efficit ut febre captis humores ad putredinem vergant: quo fit, ut isti proclivitati, minus frugibus, acidulisque fructibus, quam vino aliisque incitamentis, optime occurratur. Denique, *scorbutici* mente sanissima perfrui consuerunt: febricitantes contra sæpenumero delirant; iisdemque cerebri actio nunquam non gravissime perturbatur.

Syphilis quodammodo etiam *scorbutum* refert. Utrique enim humores corrupti et polluti contingunt. Huic vero natura *septica*, id est *nitrogenio* onusta, illi virus, sive contagium *specificum* id facit. Ulcera equidem maligna sanatu difficillima, artuumque dolores vagi ad utrumque horum malorum attinent. *Syphilis* autem fere semper præparatis ex argento vivo ministratis cedit: *scorbutus*, iisdem concessis, nunquam non exasperari observatur. Ulcera *scorbuto* oriunda cruenta, liventia, spongiosa esse notantur; celeriter late diffunduntur; nec nisi causa continente radicitus sublata, sanescunt. Pulmo *syphiliticis* perraro, *scorbuticis* sæpissime vitiosus esse invenitur.

DE PROGNOSI.

De eventu hujus morbi futuro judicare licebit, cognitis et perspectis ægri ætate, corporis indole, vitæ victusque ratione prægressa, causis, quæ morbum intulerint; prout graviores aut leviores sint; signis ipsis jam urgentibus, prout

acerbiora an leniora sint; prout denique, citius aut tardius causas admotas secuta fuerint.

Si liceat causas excitantes penitus subducere, si virium ratio, aut medicinæ auxilia jam secernenda et excernenda restituere et redintegrare cœperint; si notæ infelices sensim decrescant; si ulcera jam sanescere incipiant; si spirandi difficultas, aliæque notæ pulmonis et cordis male se habentium inclinentur; si gingivæ firmiores fiant, ex lividisque rubcant; si æger moveri et ambulare possit, artuum rigore, dolore et debilitate imminutis; maximeque, si carnes recentes, fruges, succique fructuum aciduli nobis in manibus sint; desperandum non esse satis constat.

Is contra in præcipiti versatur, quem morbi prægressi jam infirmaverint, aut nunc *scorbuto* juncti urgeant; cui jam longa navigatione detento fruges desint, nec alius victus, quam carnes sale conditæ, supersit; cuive mala passu celerrimo, et vehementissima, accesserint. Mox vero periturus est, cui anima crebro deficit; sanguinis multum sua sponte et continenter, ubique fere corporis, effluit: quemque dira febris *hectica* macerat et labefactat. Felix ta-

men est hodiernos usu doctos optime cognoscere, quibus remediis hoc malum instans arceatur, vel firmatus subigatur

DE MEDENDI RATIONE.

Medendi consilium unicum esse videtur: nimirum, causam continentem tollere; id est, *diathesin* putridam submovere. Quo vero hoc moliamur, opus est victu idoneo, medicamentis quibusdam, causisque excitantibus evitatis.

De Victu. Victus ægro optime convenit, qui *oxygenio* abundet, parumque *nitrogenii* habeat. Medicis autem notissimum est fruges illius divites esse, et paucis sane exceptis, hujus pene expertes: ob eamque causam easdem fere neque putrescere, neque *ammoniam* edere; sed ita fermentescere posse, ut ex iis prius liquor meracus ebrietati moliendæ aptus, deinde acetum, progignantur. Cibos igitur e terra natis confectos esse oportet. Radices esculentæ, quæ *saccharo* et *fœcula* redundant, veluti, *battata*, *daucus carota*, &c., quantum fieri potest, con-

cedi debent. Pisa, hordeum et quæ sunt his similia carnibus miscenda; adeo ut copia apta frugum cum carnibus societur; non enim fieri potest, quin inter navigandum carnes sale conditæ adhibeantur. Ea quoque escæ terra natæ genera danda, quæ *oxygenii* vi magna polleant, ideoque putredini obstandi præpotentia sint. Hujusmodi sunt uvæ passæ, uvæ CORINTHIACÆ, SACCHARUM, et quæcunque hoc abundent, CEREVISIÆ tenuiores aut meraciores, aqua, ex qua hordeum fermentatum fuit decoctum, acetum, radix *allii cepæ*, fructus *citri aurantii*, *citrique medicæ*, *theriaca*, et alia his similia. Hæc igitur carnibus recentibus adjuncta, si tempestive et aliquanto largius ingerantur, raro non radicitus hunc morbum submovebunt.

DE POTU. Nautæ *spiritu Indico* admodum diluto, potu, præsertim utuntur: aqua autem huic addita, præcipue inter navigationem diuturnam, persæpe putrescit; potiusve, naturæ terra natæ, quas dissolutas habeat, corruptæ fiunt. Aqua istiusmodi valde sit insalubris, nec parum operæ ad *scorbutum* inferendum conferat, necesse est. Quo minus aqua in putredinem ruat,

carbo ligni tritus ei adjiciendus; cado ve ligneo, cujus facies interior igne denigrata sit, aqua includenda. Nihil enim validius putredini occurrit. Quidam aquam puram servare nituntur, calce adjecta, et postea *acido sulphurico* vel *carbonico* immisso, quo *sulphas carbonas*ve *calcis* dejiciatur: cui rationi expurgandæ aquæ fidem habere nequeo.

Liquores omnes *acido carbonico* saturi, simulque *saccharo* imbuti, potui sunt aptissimi. Cerevisiæ igitur quam maxime ministrari debent. LINDIUS et TROTTERUS has utilissimas testantur; *scorbutum* non prius, ipsis curantibus, erupisse, quam harum copia defecisse cœperit, professi.

Quod ad medicamenta, ea quoque, quæ *oxygenii* concreti multum habcant, testibus TROTTERO, COXVELIO aliisque medicis, palmam jure optimo sibi præripuerunt. Ex his ACIDA, cum quæ succi plantarum, tum etiam quæ effossa præbent, optime conveniunt. Experientia freti, omnes fere medici *acidis citrico*, et *nitrico* quam aliis uti maluerunt. *Citricum* profecto commodissimum est, eo quod concretum facile hinc illuc transfertur; neque, si rite præparetur, sua sponte depravatum fieri consuevit. Verisimile

est *acidum nitricum*, *nitras potassæ* et *euchloritem potassæ* remedia esse haud contemnenda: permultum enim *oxygenii* iisdem inest, idque vinculo tam levi cum reliquis principiorum sociatum, ut corpus non subire non possit, quoties hæc medicamenta ingerantur. Quidam *nitras potassæ acido acetico* dissolutum adhiberi jubent: nosse tamen juvat medicinæ auxilia vel potentissima multo minoris quam cibum potumque idonea existimanda esse.

Ulcera non prius sanescere possunt, quam remediis quam relatis causam continentem sustulerimus; id est, sanum habitum humoribus conciliaverimus. Horum igitur curatio orationem perbrevem desiderat. Quotidie ulcera detergeri oportet, quo minus humor acer, quem effundunt, carnes vicinas exasperet; si pessime oleant, et nigricent, aqua, ex qua cortex *querci pedunculatæ* decoctus fuerit, lavanda; vel *cataplasmate* e carbone ligni trito, spuma *cerevisiæ*, et radice *dauçi carotæ* confecto, mulcenda erunt.

Si vires perquam dilabantur, vinum rubrum Lusitanicum ministrandum erit. Cognitu autem utilissimum duco, remedia incitando habilia,

qualia sunt SPIRITUS GALLICUS, ÆTHER SULPHURICUS, OPIUM, &c. &c., longe sæpius omnino esse inepta. Neque sane vir ille acerrimus, JOANNES BRUNO, qui inter morborum curationes exponendas, graviter sæpe erravit, inani scilicet ratione lusus, non de proposito morbo perniciosissima protulit. Haud equidem nescio, hunc medicum multa absurda olim accepta diruisse: morbis autem omnibus bipartitis, satis duxisse videtur, qui sint STHENICI, qui ASTHENICI statuere ; et exinde apta remedia deducere. Cui si fidendum, *scorbutus* non ita, ut jam retuli curandus; sed incitamenta valida supra comprehensa postulat.

Denique, causæ excitantes summa ope evitari debent. Cœli rationem novare vel mutare haud equidem medicum penes est, Caveri tamen potest, ne aër humidus et frigidus corpori noceat, vestitu laneo. Ægros porro rite exerceri oportet: exercitati equidem, et indusio laneo usi in *scorbutum* graviorem raro incidunt; causis que excitantibus illatis diu et fortiter obstant. Summa opus est munditie : omnibus igitur, quorum est nautas curare, videndum, ut aër perflatu assiduo novetur, toraliaque, vestes,

navisque ipsa sæpe lota, spurcitie omni expediantur. Servatis enim iis, quæ jam præcepi, secernenda et excernenda rite secernuntur et excernuntur, actioque ventriculi sana plurimum adjuvatur.

Siquidem *scorbutici* animi languore gravi afficiuntur, qui mala omnia hujus morbi propria vehementer intendit, mens omnibus modis erigenda et refocillanda. Simul atque nautæ portum aliquem attigerint, non solum frugibus protinus recreandi, sed ut, nave relicta, ad terram se recipiant, et aliquamdiu commorati suos visant, iis licere oportet. Diu enim quasi carcere inclusi, neque uxoribus, neque natis carissimis delectari possunt. Quid vero honestius, quid utilius, quam viros illos fortes et indomitos consolari, quibus auspicibus Britannia oceano imperat? Dulces concentus, quos nervi canori edunt, animos admodum reficiunt; quibus igitur naves carere non debent:

"Music exalts each joy, allays each grief,
"Expels diseases, softens every pain,
"Subdues the rage of poison and the plague:
"And hence the wise of ancient days ador'd,
"The power of Physic, Melody and Song."

Quantumcunque enim solatii aut oblectamenti nautis concilietur, haud dubitari potest, quin vitam multis periculis et ærumnis objectam agant: notatuque dignissimum existimo, Britannos, dum nautarum valetudinem secundam tueri, adversamque arcere nituntur, suæ publicæque utilitati optime consulere.

Nequaquam ignoro alia notatu digna, de quibus tacui, ad argumentum propositum attinere: præcipuis tamen mihimet institisse videor: neque tempus breve idem altius prosequi sivit.

FINIS.